



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

In Concilivm Ephesinvm Oecvmenicum approbatum, plurium, quam
ducentorum episcoporum, contra Nestorium, eiusque haeresin, sub
pontificatu Caelestini, anno Christi CCCCXXXI. Basso & Antiocho
consulibus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

vt & confugientes per decreti clementiam securi sint, & nullius hominis temeritate quæ ad honorem religionis sancita sunt intercidant.

Lex hæc proposita fuit indictione decimaquarta, duodecimo die mensis Pharmuthi. [hoc est septimo Aprilis.]

ὥστε καὶ ἐὼν προσφύγοντας διὰ τῆς τῆς ἀελθέντων φιλευσεστίας ἀμελῶν τοῦ τυχεύειν, καὶ μηδενὸς προπετείας τῶ ἐἰς ἡμελῶ τῆς θρησκείας τυπώδεντα διακρατεῖν.

Νόμος περὶ τῆς ἰνδικτῶν ἡμελῶν πᾶσαι ἡμελῶν, μὲν δὲ Φαρμουθῆ 13.

I N

CONCILIVM EPHE SINVM OECVMENICUM approbatum, plurium, quam ducentorum episcoporum, contra Nestorium, eiusque hæresin, sub pontificatu Cælestini, anno Christi cccc xxxi. Basilio & Antiocho consulibus celebratum,

ANNO CHRISTI 431.

N O T Æ.

^a *Concilium.*] Sacrosancta Synodus Ephesina, auctoritate Cælestini pontificis indicta, consilio, opera, & auxilio Theodosii imperatoris congregata fuit. Id non tantum ex vita Petronii Bononiensis, quam Surius & Sigonius descripserunt; verum etiam ex epistola Cælestini ad Synodum Ephesinam data apertissime constat. Hac enim fatetur ibidem sua voluntate Concilium coactum esse. Ab eodem pontifice eadem epistola certam normam ac iudicandi regulam præscriptam esse, Firmus Cæsareæ Cappadociæ, cum Prospero, aliisque episcopis, in ipsa Synodo actione i. supra attestantur. Sanctus Prosper in chronicis hanc Synodum Cyrilli industria, & Cælestini auctoritate factam esse scribit. Ex Euagrio lib. i. cap. 4. & ex epistola Cælestini ad Cyrillum patet, ipsum Cyrillum tamquam apostolicæ sedis legatum, ad hanc Synodum profectum esse. Vnde satis euidenter colligere licet, eam non sine consensu pontificis coactam fuisse. Ipsi autem Theodosii iunioris consilio & auxilio patres Concilii conuenisse, Euagrius lib. i. cap. 2. Liberatus in breuiario cap. 5. eiusdemque Theodosii epistola (quæ extat supra ad Cyrillum scripta) attestantur. Hæc confirmantur iisdem auctoritatibus & rationibus, quibus supra in notis i. epistolæ Marcelli, probauimus, absque auctoritate Romani pontificis non licuisse vllam vniuersalem Synodum congregare. Nestorianorum bino iudicio synodali condemnatorum calumnia Cyrillo obiecta, quasi ille Apollinaris hæresin sectaretur & defenderet, huic Synodo conuocandæ, quod supra in notis Alexandrini Concilii sub Cælestino habiti diximus, occasionem dedit. Baronius anno 430. num. 61. 62. & 63. Bellarminus lib. i. de Conciliis cap. 13.

^b *Ephesinum.*] Sic dictum ab Epheso, quæ est celeberrima totius Asiæ minoris metropolis, Eusebio & Iustino attestantibus, ab Amazonibus

Concilium Ephesinum Cælestini auctoritate indictum, Theodosii auxilio & consilio congregatum.

Qua occasione indictum?

Locus Concilii.

ANNO
CHRISTI
457.

zonibus tempore Dauidis extracta. Præclarum est ibi emporium & portus inclytus, vt propterea Plinius lib. 5. cap. 29. in fine, eam alterum Asiæ lumen appellauerit. Progressu temporis varia nomina sortita fuit. Alopes dicta, cum apud Troiam pugnatum fuit: mox Ortygia & Morges vocata est, & Smyrna cognomine Trachea. Inter vrbes Asiæ duodecim, quæ tempore passionis Christi terræmotu concussæ fuerunt, primo loco a Plinio libro secundo, cap. 84. enumeratur Ephesus: *Maximus terra, inquit, memoria mortaliū extitit motus Tiberii Cæsaris principatu, duodecim vrbus Asiæ vna nocte prostratis: quarum nomina sunt Ephesus, Magnesia, &c.* In ea extractum fuit templum magnificentissimum, Dianæ Multimammæ dicatum: quod propter admirabilem magnificentiam, ornatum, & artificium, inter septem orbis miracula relatum fuit. Huic vni templo post omnia Asiatica exusta Xerxes rex Persarum pepercit. Herostratus, vt nominis immortalitatem consequeretur, incendit eo die quo magnus Alexander in hunc mundum editus fuit. Obliterato nomine exurentis Herostrati, restauratum est, ac deinceps, teste Iulio Capitolino, vsque ad Gallieni imperatoris tempora integrum permanfit, quando a Gothis est expilatum & concrematum. In hac vrbe dæmonum cultui & superstitionibus dedita, vanisque philosophorum opinionibus imbuta prædicauit Paulus apostolus vltra biennium, eaque miracula, quæ Act. 19. describuntur, ibidem edidit. Nicephorus lib. 2. cap. 25. scribit, Paulum Ephesi liberius prædicantem eo tempore quo Hieronymus principalem locum obtinebat, a plebe per insolentiam iniectis ei compedibus carceri inclusum fuisse, vt leonibus deuorandus obiceretur, Ebulam & Artemillam clarissimas feminas a Paulo in fide edoctas, ab eodem vinculis soluto in litore maris baptizatas esse: leones aliasque feras bestias corpori eiusdem pepercisse: grandinem de cælo immissam plurimorum virorum & bestiarum capita comminuisse, ipsique Hieronymo principi auriculam amputasse. Cuius occasione ille Deo per Paulum reconciliatus, baptismum suscepit. Hanc non tantum Paulus, sed etiam Ioannes euangelista, & Timotheus Pauli discipulus, vitæ sanctitate & doctrina pariter illustrarunt. Sanctissimam Dei genitricem Mariam virginem, cum sancto Ioanne apostolo Ephesi habitasse, non obscure indicat synodica epistola Concilii Ephesini ad clerum Constantinopolitanum data, quæ habetur supra in actis huius Concilii, parte 2. artic. 1. Vbi post alia dicitur: *In Ephesiorum ciuitate, quam Ioannes theologus, & sacra virgo deipara Maria quandoque incoluerunt, &c.* Ecclesiam Ephesinam a Paulo fundatam, a Ioanne curatam esse, auctor est Irenæus libro 3. cap. 3. in fine. De eadem vrbe hæc Philostratus lib. 8. in Apollonio: *Abundat bonarum artium studiis, philosophis, oratoribusque redundat: vt vere dici possit, eam ciuitatem non equitum robore, sed clarorum hominum millibus ceteras superare, in eaque plurimum vigere sapientiam.* In hac proconsul Asiæ agere consuevit. De templo magnæ Dianæ plura vide apud Baronium

Ephesi descriptio.

Ephesi varia quondam nomina.

Templum Ephesi magnificentissimū, vnum e septem miraculis mundi.

Paulus Ephesi euangelium prædicat.

Quæ fuerit Ephesi passus?

Quibus miraculis a vinculis liberatus?

Ioannes & Timotheus Ephesi docuerunt.

An beata Maria virgo Ephesi habitauit?

Cur Ephesi
in templo
Dei geni-
triciis Con-
cilium ha-
bitum sit?

tom. 1. an. 57. num. 176. & sequentibus. Ad hanc urbem toto orbe celeberrimam, totius orbis episcopi conuocati, in ecclesia quadam, quæ sancta Maria dicitur, conuenerunt; vt deiparæ Virginis honorem in ecclesia suo nomini dedicata, aduersus calumniantium hæreticorum furorem tuerentur. ita ex Cyrilli apolog. ad Theodosium. Baron. anno 431. num. 41.

ANNO
CHRISTI
431.

Oecumeni-
cum Con-
cilium fuit
se probatur.

Oecumenicum.] Oecumenicum Concilium fuisse oportet, ad quod ex toto orbe metropolitani per literas conuocati sunt, cuique Romanus pontifex per Cyrillum legationis munere fungentem præfedit. *De indicta autem sanctissima Synodo*, scribit Theodosius epistola ad singulos metropolitanos transmissa (extat supra parte 1. cap. 32.) *nostra serenitas ad omnes omnino Deo dilectos episcopos metropolitanos literas scripsit. quo nimirum hac tandem ratione turba, quæ ex multis disidiis & concertationibus hinc inde nata sunt; rite secundum ecclesiasticos Canones consopiantur, &c.* Paulo supra aiebat: *Tua pietas Deo bene propitio operam dabit, vt sacrosancto paschate, quod iam in foribus urget, elapso, sub sacrum pentecostes diem ad Ephesorum Asia ciuitatem accurrat, nonnullosque quos nimirum idoneos iudicabit sanctissimos prouincia sue episcopos simul eodem secum adducat; ita vt neque necessarii sanctissimis eiusdem prouinciæ ecclesiis desint: neque ii rursus, qui ad eam rem apti censentur in sacra Synodo desiderentur, &c.* Hoc idem refert Philippus presbyter parte 2. artic. 3. apostolicæ sedis legatus his verbis: *Omnes namque orientales vel occidentales vel per se, vel certe per suos legatos sacerdotali huic confessui interfunt.* Hac ratione omnes episcopi totius orbis sunt conuocati. Imperatorem Theodosium iuniorem, vel eius nomine Candidianum comitem, præsidem Concilii egisse, suo more calumniantur hæretici. Ipse enim imperator Theodosius epist. quam ad Synodum scripsit, quæque supra in actis Conc. Ephesini, parte 1. cap. 35. habetur, fatetur se Candidianum comitem misisse ad Concilium, non vt se ecclesiasticis quæstionibus immisceret; sed potius omnem iniuriam, vim & seditionem, omneque impedimentum a Synodo propulsaret. *Candidianum*, inquit, *praclarissimum religiosissimorum domesticorum comitem ad hanc sacram vestram Synodum abire iussimus; sed ea lege & conditione, vt cum quæstionibus & controuersis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat (nefas est enim qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere) verum vt monachos & saculares ac ceteros denique omnes, qui huius spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum forte confluent, ab eadem illa ciuitate omnibus modis submoueat, &c.* Idem asseritur in epistola Nicolai I. ad Michaellem imperatorem. Quod autem Cælestinus pontifex per Cyrillum legatum suum huic Synodo præfedit, testantur omnes historici. Euagrius lib. 1. cap. 4. Photius in lib. de VII. Synodo. Prosper in chro. Niceph. lib. 14. c. 34. Liberatus diaconus in breuiario c. 15. Denique Iustinianus imp. in edicto. Nicolaus I. in epist. ad Michaellem. Cælestin. I. epist. quam ad

Præses Cœ-
cilii non
fuit impe-
rator.

Cælestinus
pont. per
Cyrillum
Alexandri-
num Con-
cilio præfe-
dit.

ANNO
CHRISTI
459.

Cyryllum scripsit, quaque illi in prosequenda causa Nestorii vicariam præfecturam, legationemque a latere delegavit: *Quamobrem*, inquit, *nostra sedis auctoritate ascita, nostraque vice & loco cum potestate usus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exqueris, &c.* Theodorus Ballamon in Nomocan. Photii tit. 8. cap. 1. tradit ad Cyrillum ab ipso Cælestino missum fuisse phrygium seu pallium, quo plena apostolicæ sedis potestas significatur, eoque deinceps, more pontificis Rom. non tantum in Ephesino Concilio, sed etiam in sacris solenniis usum esse. Damnatæ memoriæ hæresiarcha Caluinus responderet, Cælestinum cum rem habere non posset, aliquo saltem artificioso nomen præsententiæ sibi acquisiuisse, ideoque cum illuc suos mitteret, Cyrillo, qui alioqui præfuturus erat, vices suas delegasse, vt per legatum commentitium præsidere videretur, cui in propria persona obire non liceret. Sed calumniam & figmentum impostoris facile aduertet, quisquis prædictorum auctorum testimonia accuratius discussit. Sanctus Prosper in chron. ait, Nestorio præcipue restitisse Cyrilli industriam, & Cælestini auctoritatem, sine dubio illam quam per epistolam multo ante quam legati mitterentur, pontifex illi delegauerat. Nicephorus loco præd. ait, eidem Cyrillo eiusve successoribus mitram, qua Rom. pontifices utebantur, missam esse, concessumque vt vniuersi orbis iudices appellarentur. Hoc est, quod pronuntiaturus in Nestorium damnationis sententiam, (extat supra par. 2. act. 1.) præmiserit, se tum aliis ecclesiæ Canonibus, tum præcipue literis papæ Cælestini ad tam sinceram sententiam compulsum esse. Denique quod patres Concilii iudicium Ioannis Antiocheni episcopi, Cælestino pont. epist. synodali ad eundem scriptæ referuant, nihil aliud eo ipso indicare videntur, quam quod limitatam a pontifice in causa Nestorii potestatem acceperint: Ioannis vero causæ discussione abstinerunt, ne commissionis suæ terminos transgressi viderentur. Hæc ex Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 19. Baronius anno 430. num. 25. & 26. & an. 431. num. 37.

^d *Approbatum.*] Constat id ex epist. Cælestini II. ad Synodum Ephesinam scripta: & ex actis Concilii in causa Nestorii Romæ habiti. Vtrobique enim ob eandem causam hæresiarcha condemnatus fuit. Sixtus scriptis ad orientales literis hanc Synodum, teste Genadio in omnibus stabilitam reddidit. Vnde Gregorius lib. 1. epist. 24. se hoc Concilium non minus quam euangelium venerari affirmat. Vincentius Lirinensis his temporibus coæqualis sanctum Concilium, beatam Synodum frequentissime appellat. Hoc vnum est ex illis octo Conciliis, quæ Canone, Sancta octo. D. 16. ab ecclesia vniuersa recepta esse enumerantur. Hanc sanctam Synodum cum duabus præcedentibus & 4. sequent. a Græcis receptam fuisse patet ex Conc. Florent. sess. 5. & 6. Lutheranos eandem recepisse, testantur Magdeburgenses, cent. 8. & 9. cap. 9. Codex huius Concilii olim Constantinopoli Romam missus, quomodo falsatus fuerit, vide Gregor. lib. 5. epist. 14. indict. 14. Hoc Concilium ex bibliotheca Antonii Contii primo prodierat: Sed id quod Pelthanus e Bauarica bibliotheca acceptum

Concil. Tom. 6.

M m ij

Phrygii v-
sius.

Obiectio
Caluini.

Refellitur.

Concilium
hoc a pon-
tifice ap-
probatum.

Receptum
est ab ec-
clesia,

a Græcis,
a Luthera-
nis.

Quæ quot-
ve editio-
nes Conci-
lii?

Commeli-
niana edi-
tionis titu-
lus repre-
henditur.

vertit, Contianam illam editionem omnino superavit. Græce editum est primo Heidelbergæ in Germania ab Hieronymo Commelino e bibliotheca Reuchliniana: ne a catholicis reiiceretur, ideo quod in loco de fide suspecto excusum fuisset, nomen vr̄bis suppressit. Vtinam hunc titulum: *Ex sanctione Augustorum Theodosii & Valentiani aduersus Nestorium hæreticum* in ipsa fronte editionis suæ non præfixisset. Cum enim ex præcedentibus verbo, *Concilium*, & verbo, *æcumenicum* planissime constet, in hac Synodo non imperatorem, neque etiam Candidianum comitem; sed per Cyrillum aliosque legatos, Romanum pontificem præfedis; potestatem pascendi oues, soli Christi vicario concessam, laicis detulisse non debebat, maxime cum non Græci tantum, sed etiam omnes hæretici nostrates potestatem Romano pontifici concessam, pro virili adimere, sibi que eam attribuere non semel conati fuerint. Vide Bellarm. lib. 1. de Concil. c. 5. Possesivum in apparatu sacro, verbo *Ephesinum primum*. Post Contianam & Pelthanam editionem nouissime editum est hoc Concilium Græcolatinum ex typographia Vaticana. Hanc tamquam emendatorem secuti, duas alias, alteram Contii, alteram Pelthani omisimus.

Numerus
episcoporum.

Plurimum quam ducentorum episcoporum.] Hoc multis in locis acta Concilii Ephesini apertis verbis declarant. In fine epistolæ synodalis ad clerum Constantinopolitanum (extat parte 2. act. 3.) dicitur: *Cum episcopi supra ducentos extiterint, qui Nestorium deposuerunt, horum subscriptionibus contenti fuimus.* Item epistola Cyrilli ad clerum populumque Constantinopolitanum parte 2. act. 1. *Episcopi autem, qui hanc in illum sententiam tulimus, amplius ducenti eramus.* Cyrillus epist. 34. ad Alexandrinos: *Sumus, inquit, hic congregati episcopi ultra ducentos fere plus minus trecenti.* Vnde nequaquam curandum est, quod, qui hodie in eiusdem Synodi actis subscripti inueniuntur, centum quinquaginta trium episcoporum numerum tantum expleant. Nam quamplurimos in iis desiderari redarguit Cresconiana collectio, in qua numerantur & nominantur qui huic Synodo interfuerunt episcopi centum nonaginta. Vide acta Concilii sup. par. 2. act. 1. & seqq.

Non omnium
episcoporum
nomina
subscripta
sunt.

Qui quorve
patriarchæ
interfuerint?

Baron. anno 431. num. 42. Ex his patriarchæ fuerunt Cyrillus Alexandrinus, qui etiam locum Romani pontificis obtinuit; Iuuenalis Hierosolymitanus, & Ioannes Antiochenus, de quo plura infra dicemus. Cælestinus pontifex decreto Romanæ Synodi tres legatos, qui eiusdem Synodi constitutiones patribus Ephesi congregatis significarent & executioni mandarent, ablegauit hosce, Arcadium, Proiectum & Philippum, quorum duo priores episcopi, posterior tantum presbyter erat. Capreolus Carthaginensis episcopus ex Africa ab hostibus mirum in modum diuexata legatum misit Bassulam diaconum communicatis illi literis act. 1. parte 2. extantibus, quibus suam absentiam excusat. Aliam quamdam epistolam eiusdem Capreoli de *incarnatione Verbi* hætenus nondum excusam, a Petro Pithæo acceptam refert Baronius anno 43. num. 28. Ex oriente præter Cyrillum Alexandrinum affuerunt Acacius Melitenæ ciuitatis episcopus, magnique illius Euthymii archimandritæ institutor celeberrimus, Cy-

Ex Africa
quis adfuerit.

Ex oriente
qui & quales
interfuerint.

ANNO 431. CHRISTI rus Aphrodisiæ in Caria episcopus, Petrus Saracenorum antistes vir egregiæ sanctitatis.

Nestorius hæresiarcha impiissimus, omnium episcoporum aduentum præuenerat eo fine, ut intrantes episcopos quacumque posset arte in suum dogma pelliceret. Industria autem sancti Cyrilli Alexandrini, qui diem ab imperatore præstitutum anteuertat, effectum est, ut nemo præter Pelagianos, qui a Cælestino Romæ damnati ad eum confugerant, impietatem hominis impiissimi sectaretur. Ioannes Antiochenus cum aliis Syriæ episcopis clam Nestorio fauentibus, de industria in itinere moras trahebat: timebat enim, ne aut ipse Nestorium condemnare, aut certe cum Nestorio condemnari cogeretur. Ut fraudem occultaret, ad Cyrillum epistolam supra par. i. cap. 36. extantem scripsit, itineris difficultates, episcoporum labores, ac iumentorum defectum accusans. Cum autem ex episcopis, qui aduenerant, alii senio confecti, alii diuersa viuendi consuetudine ægrotarent, nonnulli etiam Ephesi mortui essent, patres vrgere cœperunt, Ioannis Antiocheni contumaciter sese absentantis aduentum nequaquam expectandum esse. Postquam itaque quindecim dies a præscripto termino inchoandi Concilii, illius aduentum frustra præstolati fuissent, citato per quatuor episcopos Nestorio, decimo Kalend. Iulias, primam sessionem inchoarunt. Iuxta ordinem dignitatis subfelia episcoporum in ecclesia sanctæ Mariæ disposita fuerunt. Cyrillus Romani pontificis præfectura vicaria functus, primo loco confedit. Post eum, ut ex Cresconiana collectione patet, Arcadius eiusdem Romani pontificis legatus: patroni huius Concilii, Iuuenalis Hierosolymitanus, & Theodorus Ancyranus, episcopi tertio & quarto ordine sederunt, deinceps alii apostolicæ sedis legati, Proiectus episcopus, & Philippus presbyter. Demum post illos, alii secundum dignitatis ordinem. In medio patrum confessu sedem cum euangelio collocarunt, cuius intuitu omnes admonerentur, Christum omnium inspectorem & iudicem adesse, Synodique præsidem agere. Ex magistratibus imperatoris aderant duo comites Irenæus & Candidianus, vterque Nestorianus. Imperator per epist. ad Synodum transmissam (quæ extat supra par. i. cap. 35.) præmonuit Irenæum nihil commissionis accepisse, sed tantum amicitie causa cum Nestorio aduenisse. Candidianum a se missum esse scribit, non ut Synodi disputationibus arbiter aut consultor accedat, cum id episcoporum tantum esset officii; sed ut auctoritate sua, laicorum aliorumve extraneorum illuc confluentium tumultus prohiberet: ante controuersiam definitam neminem episcoporum discedere, causamque aliam proponi non permetteret, quam illam, cuius causa episcopi conuocati fuerant: ciuiles etiam & criminales causas Constantinopoli cognoscendas referuaret. Hæc ex Cyrillo, Liberato, & actis Concilii, Baronius anno 431. num. 7. vsque ad 50.

^e *Contra Nestorium, eiusque hæresin.* Nestorius ex Germania oriundus, Pauli Samosatani nepos & sectarius, vsus est Theodoro Mopsuesteno & Tarsensi præceptoribus. Sisinnio Constantinopolitano epi-

Nestorius cur terminum præfixum anteuertit.

Ioannes Antiochenus cur tardus ad Synodum uenerit.

De confessu patrum, quis fuerit?

Patroni huius Concilii qui fuerint?

Euangelium in medio confessu collocatum fuit. Irenæus & Candidianus comites qua auctoritate Synodo interfuert.

Nestorius quis & qualis?

Qua spe & auctoritate factus fuerit episcopus.

Nestorius initio sedis hæreticorum hostis.

Nestorianæ hæreses recensentur.

A quibus impugnatæ.

Nestorii blasphemiam.

Theodoretus Nestorio aliquando familiaris fuit.

scopo defuncto, anno Christi CCCCXXVIII. ex monacho monasterii sancti Eupreprii, & presbytero Antiocheno, auctoritate Theodosii imperatoris factus est Constantinopoli episcopus; ea spe, quod qui haberet vocem sonoram, linguamque disertam, & ad docendum populum accommodatam, ex Antiochena ecclesia adscitus, Ioanni Chrysostomo Antiochia etiam in episcopum Constantinopolitanum postulato similis fore expectaretur. Quarto Idus Aprilis consecratus Arianos & Nouatianos hæreticos infectari cœpit. Teste Socrate lib. 7. capite vigesimonono, hac de re ad imperatorem ait: *Mihi, o imperator, terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi celum tribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis subueni, & ego tibi in profligandis Persis subueniam.* Hac alacritate infectandi hostes ecclesiæ ad famam bonæ vitæ superaddita, initio sedis a Cælestino pontifice & Cyrillo Alexandrino iure meritoque laudatus fuit. Sed postquam paucis mensibus post initium sedis se Pelagianorum fautorem prodidisset, suamque a Samosateno, Mopsuesteno, & Tarsensi acceptam hæresin promulgasset, Cælestinus cum Cyrillo eidem fortissime restiterunt. *Nestorius* (inquit sanctus Prosper in chronico, anno 421.) *Constantinopolitanus episcopus nouum ecclesiis molitur errorem inducere, predicans Christum ex Maria hominem tantum, & non Deum natum, eique diuinitatem collatam esse pro merito. Huic impietati præcipue Cyrilli Alexandrini episcopi industria, & papa Cælestini repugnat auctoritas.* Sanctus Cyrillus de incarnatione Vnigeniti, & in epist. ad successorem de Diodoro Tarsensi ait: *Sensit quod alter sit filius seorsum, qui de semine David & sancta Virgine natus, & alter proprie Filius Dei Patris existat, &c.* Et paulo infra: *Huius discipulus Nestorius fuit, & ex librorum eius eloquiis obscuratus, simulat quidem se vnum Christum etiam Filium & Dominum confiteri; verumtamen & ipse duos in vnum indiuiduumque partitur, dicens hominem Deo Verbo æquiuoca nuncupatione & honore & equalitate atque dignitate coniunctum.* De eodem hæc Euaagrius libro primo, capite secundo: *Anastasius* (presbyter & Nestorii fautor) *in disputatione apud populum Christum sancte colentem in ecclesia Constantinopolitana habita, palam ausus est dicere: Nemo Mariam deiparam vocet. Nam Maria, inquit, homo erat, atque ab homine nasci Deus non potest. Quæ quidem verba cum populus Christo consecratus grauiter & acerbè ferret, & disputationem illam non sine causa haberet pro blasphemiam: Nestorius illius blasphemiam auctor & dux, non solum non prohibuit illum, neque rectam sanamque doctrinam tutatus est; verumetiam verba imprimis roborare contendit, & in iisdem defendendis acrius institit: atque sua ipsius opinione hisce adiuncta, atque adeo adscripta, venenoque animi sui in ecclesiam effuso & eiecto, multo maiorem blasphemiam docere conatus est, adeo ut ad sui ipsius capitis perniciem hanc impiam sententiam, (nimirum: Ego eum, qui spatius menstruis, hoc est, bimestri & trimestri, & ita deinceps adoleuerit, Deum certe non appellauero,) proferre non dubitaret.* Theodoretus qui ipsi Nestorio amicitia intime iunctus fuit, eidemque aliquando fauisse visus est, post patriam illius & mores recensitos, in epistola ad Sporadium, ait:

ANNO
CHRISTI
431.

Excogitatur ab illo primum nouitatis facinus & exordium : quod non oporteat videlicet sanctam Virginem Dei Verbi secundum carnem genitricem, Dei matrem confiteri; sed Christi tantum matrem : licet iam diu & diuissime orthodoxæ fidei præcones iuxta apostolorum traditionem Dei genitricem illam ore confiteri atque corde credere nos docuerint Domini matrem.

Vincentius Lirinensis contra hæreses, capite 17. Nestorius, inquit, dum se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos vult esse Filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem; unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex matre. Hæ sunt illæ blasphemie Nestorii, de quibus sancti Concilii patres, parte 2. initio actionis.

Non est dicendum Deum factum esse hominem propter nos. Item illud: Ego bimestrem & trimestrem Deum non dico.

Vide Baronium an. 428. num. 19. & sequentibus: item notas Concilii Romani & Alexandrini supra.

ACTIONIS PRIMÆ SESSIO I.

In hac controuersia diiudicanda septem actiones, primaque actione tres sessiones celebratæ fuerunt. Prima habita est 22. Iunii, in qua cum Nestorius prima vice per quatuor episcopos citatus, his verbis: *Considerabo & videbo*, fastuose respondisset, Petrus Alexandrinus presbyter tribunus & notarius ea quæ a Cælestino pontifice & Cyrillo contra Nestorium superioribus temporibus & Conciliis gesta erant, legit. Postea ex suggestione Iuuenalis Hierosolymitani episcopi literæ Theodosii de Synodo indicta recitatæ fuerunt. Cumque inde cognitum esset, terminum cogendæ Synodi præscriptum iam diu interlapsum esse, pluresque episcopi mala valetudine laborarent, omnibus placuit Synodum inchoare. Exposcente Cyrillo, Theodosii epistola, quam ad Synodum scripsit, edita fuit. Theodotus Ancyranus episcopus putauit initium Synodi vsque ad Nestorii aduentum differendum esse. Cum episcopi quatuor, qui pridie huius diei Nestorium citauerant, eius responsum timore & superbia plenissimum in confessu patrum retulissent, placuit alios quatuor antistites mittere, qui contumaciter absentem secundo citarent. Qui cum ne quidem ad aspectum vel colloquium Nestorii admissi fuissent, re infecta discesserunt, remque prout gesta erat Synodo renuntiarunt. Tandem ne qua iudicarii ordinis solennitas desiderari posset; per alios demum episcopos eundem Nestorium tertio & quidem per scriptum peremptorie citarunt. Episcopi ad hanc functionem obeundam ablegati, non modo non ad Nestorium admissi sunt, verum etiam a satellitibus introitum custodientibus & obnitentibus male habiti fuerunt, act. 1. sup. Quæ cum ipsi ad Synodum retulissent, causa Nestorii sese contumaciter absentantis inchoata est, hoc modo & ordine. Principio lecta est per Candidianum epistola illa, quam imperator de commissione Candidiani comitis ad Concilium scripsit. Deinde post recitatum sacrosanctum Nicænum fidei symbolum ad demonstrandum

Quot sessiones habitæ?

Primæ sessionis acta. Nestorius primo citatus fastuose respondet.

Nestorius secundo citatus.

Nestorii tertia citatio.

Quo ordine causa Nestorii discussa fuerit?

quas blasphemias os diaboli Nestorius in Christum eiusque genitricem beatam Mariam effutiisset, quidve Romanum & Alexandrinum Concilium in causa Nestorii egissent, catholica epistola Cyrilli ad Nestorium, Nestorii ad Cyrillum blasphemias plenissima, item Cælestini & Concilii Alexandrini lectæ fuerunt. Ad epistolarum lectionem additæ sunt recitationes horrendarum blasphemiarum, quas Theodorus Ancyranus, & Acacius Melitenus, aliique episcopi Constantinopoli ex ore Nestorii ipsi audiuerunt, cap. 2. His auditis, ex suggestione Flauiani Philippensis episcopi, multis testimoniis ex scriptura ac patribus allatis, demonstratum est, incarnationem Verbi diuini indiuisse & inconfuse in vtero beatæ Mariæ virginis factam esse; duasque naturas, diuinam scilicet & humanam, in vna persona coniunctas & vnitas fuisse. Ab hac orthodoxa patrum & ecclesiæ doctrina, scripta Nestorii discrepare & multum abhorrere, ex eiusdem quaternionibus in Synodo legi iussis, vniuersis est manifestatum. Lectis postea & approbatis Capreoli Carthaginensis episcopi literis, sententia damnationis in eum lata est eiusmodi: *Dominus noster Iesus Christus, quem suis ille (Nestorius) blasphemis vocibus impetruit, per sacram hanc Synodum eundem Nestorium omni pietatis dogmate priuatum, & ab vniuerso nihilo minus sacerdotum consortio & cætu alienum esse decreuit.* Hanc subscriptione episcoporum omnium approbatam additis literis Nestorio insinuarunt.

Sententia damnationis in Nestorium.

In laudem Cælestini pontificis, qui antea Nestorium damnarat, patrum acclamationes subsecutæ sunt. Post hæc catholica fidei decretum firmatum est. Repetito enim Nicæno symbolo sub anathemate præceptum fuit, ne quis aliquid præter id, quod per Nicænum definitum esset, ad fidem adicere vilo modo tentaret. Circa vesperam istius diei, cum Ephesini audiissent (inquit Cyrillus epist. 34. ad Alexandrinos) *infelicem illum esse depositum, ceperunt omnes vna voce prædicare Synodum, & Deum glorificare, quod cecidisset fidei inimicus. Eredientes vero nos ab ecclesia deduxerunt cum lampadibus vsque ad diuersorium nostrum (erat enim iam vespera) & facta est multa letitia, & luminaria in ciuitate posita, ita vt & mulieres quoque adolentes thymiamata cum thuribus nos præcederent.* Per publicos præcones damnationem Nestorii Ephesi promulgatam & proclamatam fuisse, testatus est in Conciliabulo Ephesino Candidianus comes.

Nicæne fidei nihil adiciendum.

Ephesii ob condemnationem Nestorium lætantur.

ACTIONIS PRIMÆ SESSIO II.

Acta sessionis II. Epistola synodalis ad Theodosium.

Catholicorum epistola a Candidiano intercepta.

Sequenti die, vigesima tertia Iunii, Cyrillus, cum in vnum conuenissent episcopi, ad populum homiliam habuit. Post hæc vero scripta est ad Theodosium epistola synodalis, in qua, *vestram*, inquit, *maiestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, vt vniuersam illam doctrinam Nestorii e sanctis ecclesiis submoueri, eiusdemque libros vbi que locorum repertos iubeat flammis absumi.* Ad clerum Constantinopolitanum duæ aliæ additæ. Candidianus vero, qui ex officio sibi demandato omnem vim & iniuriam coercere debebat, Nestorii patronus factus, maris terræque aditus omnes præcludit, ne rei gesta narratio

ANNO
CHRISTI
431.

ratio ad imperatorem perferretur, idque ideo, ut suis ad imperatorem missis epistolis calumniarum & mendaciorum plenissimis, catholicos anteuertaret, animumque imperatoris præoccuparet; scribebat per summam calumniam, Ioannem Antiochenum non fuisse expectatum; conuocatos episcopos non omnes conuenisse: eos qui conuenerant inter se non consensisse. Nestorius suas addidit, quibus postulauit aliam Synodum, a qua omnes Ægyptii abessent, cuique duo tantum ex vnaquaque prouincia interessent, indici; reditumque ad episcopatum suum, a quo per synodalem sententiam amotus erat, sibi concedi. Ad fidem maiorem epistolæ suæ conciliandam, nouem episcoporum suæ factionis sectariorum subscriptionem, & approbationem impetrauit.

Candidiani calumnia Synodo obiecta.

Nestorius Synodum aliam indici ab imperatore petit.

ACTIONIS PRIMÆ SESSIO III.

Die quinto a damnatione Nestorii (teste Euagrio lib. 1. cap. 4.) qui est vigesimus septimus Iunii, episcopi illi, qui a sancta Synodo Ioanni Antiocheno episcopo aduentanti officii causa obuiam missi fuerant; mandato eiusdem Ioannis, per milites contempti, ab eius aspectu amoti, plagisque grauioribus affecti, iniuriam sibi illatam in Concilio retulerunt. Patres Concilii hanc ob rem iusta indignatione commoti, Ioannem Antiochenum excommunicarunt. Hæc ex epistola Memnonis Ephesini episcopi ad clerum Constantinopolitanum, Ioannes episcopus vix urbem ingressus, ante puluerem excussum & pallium depositum, procurante Candidiano comite, Conciliabulum ex Nestorianis & Pelagianis triginta congestum celebrauit; in quo postposita orthodoxæ fidei doctrina, Memnon Ephesinus episcopus, velut turbulentus, & Cyrillus tamquam hæreticus condemnantur, & deponuntur. Commentisunt epistolam ad episcopos Synodi, miseruntque eam ad imperatorem & clerum Constantinopolitanum cum tali inscriptione, quasi ad Synodum missa fuisset. Ita factum, ut in remotioribus ciuitatibus, sacrosancta Synodus facti huius plane ignara, commentitiis epistolis Conciliabuli, magnopere infamaretur. His necdum contenti, in gratiam Pelagianorum eorum, qui satanæ conuenticulo, & crabronum turmæ intererant, Pelagianam hæresin sæpius ante damnatam restituunt & confirmant. Hæc acta Pseudosynodi Ephesinæ, quæ vel dolo malo, vel saltem librariorum incuria, actis huius orthodoxi & legitimi Concilii admixta fuerunt. Nam cum Gregorius pontifex suo tempore Romanum codicem cum reliquis contulisset, nihil eorum, quæ in Conciliabulo Ephesino gesta sunt, in prædicto Romano codice inuenit, ut testatur ipse lib. 6. epistola trigesima prima ad Eulogium Alexandrinum, & libro septimo epistola quadragesima septima ad Anastasium episcopum Antiochenum, & libro quinto epistola decima quarta ad Narsenium comitem. Numerus episcoporum variatur: alibi quadraginta tres Nestoriani episcopi numerantur: alibi triginta tantum & octo: alibi triginta tantum & vnus recensentur: quia nimirum aliqui ipsorum, (ut testatur synodica per Palladium

Acta sessionis III.

Ioannes Antiochenus a Synodo excommunicatur.

Conciliabulum Ephesinum a quo, quæve de causa celebratum? Quid in eo gestum fuerit?

Pelagiana hæresis restituitur & confirmatur. Acta Conciliabuli Ephesini, ecumenici Concilii actis male admixta.

Quot episcopi Conciliabulo Ephesino interfuerint?

Concil. Tom. 6.

N n n

& Theodosium missa,) paulo post sanioris mentis effecti, a sceleratorum militia deficientes, ad catholicæ ecclesiæ castra se receperunt. Hæc ex actis Concilii Ephesini Baronius anno 431. numero septuagesimo primo, vsque ad 80.

ACTIO II.

Secunda actio Concilii orthodoxi decima Iulii inchoata est, in qua post duodecim dies habiti Conciliabuli, legati sedis apostolicæ eodem die, quo Ephesum appulerant, in Synodum introducti, obrulerunt literas Cælestini pontificis, ob dignitatem apostolicæ sedis Latine scribentis, Latine recitatas. Quas cum patres velut catholicas & orthodoxas prædicassent, & faustis acclamationibus accepissent, iisdem legatis acta Synodi, prout petierant, prælecta fuerunt, eo consilio, vt latam contra Nestorium sententiam suo suffragio etiam confirmarent. Ex actis Concilii Ephesini Baronius numero 80. & 81.

ACTIO III.

Legati sedis apostolicæ Nestorii condemnationem approbant.

Vndecima Iulii, tertia actione patribus Concilii conuenientibus, legati sedis apostolicæ in damnationem Nestorii suum calculum adiecere. Quorum primo loco Philippus presbyter post sententiam, de primatu sedis apostolicæ quædam prælocutus est, quæ sanctum Concilium approbavit. Post Philippum cardinalem presbyterum, proximiorum connexioni capiti ecclesiæ coniunctum, duo reliqui sententiam pronuntiarunt, & subscripserunt, quantumvis episcopali dignitate præeminerent. Quod hæc damnatio Nestorii non tantum per legatos Cælestini pontificis, verumetiam omnium occidentalium episcoporum vicem agentes, confirmata fuerit, duabus synodicis epistolis ad imperatorem Theodosium & clerum Constantinopolitanum, nulla rerum in Conciliabulo gestarum mentione facta, perscripserunt. Nestoriani interim vt eas, quas Cyrillus de damnato Nestorio in Ægyptum scripserat literas anteuertent, suis istuc transmisis, significarunt Cyrillum eodem anno in Nestorium commotum esse, quo Theophilus Chryostomum antehac infectatus fuit, & vt eum Ægyptiis odiosum redderent, addiderunt eundem sua meritissima culpa absque perendina dilatione excommunicatum esse. Quæ res piorum multorum animos exulceravit. Inter alios Isidorus Pelusiota, commentis hæreticorum fidem adhibens, per epistolam cum Cyrillo exposulauit; monens ne qui nepos esset Theophili, mores sæuitiamque eiusdem imiteretur. Victorem sanctissimum monachum per calumnias eo infamiæ adegerunt, vt mandato Concilii se per iuramentum ab obiectis hæreseos calumniis purgare debuerit. Ex Cyrillo & actis Concilii Ephes. Baron. anno 431. num. 82. vsque ad 87.

Nestorianorum in Cyrillum calumnia.

Isidorus Pelusiota cum Cyrillo exposulat.

ACTIO IV.

Quarta actione, post interuallum aliquot dierum decimasexta Iulii, in eandem Dei genitricis basilicam patres Concilii conueniunt, acturi de modo & ratione, qua iniuriam Cyrillo, Memnoni, aliisque orthodoxis episcopis a Conciliabulo Nestorianorum irroga-

ANNO
CHRISTI
431.

tam, eluerent. Nam ante vndecimum diem Iulii de rebus in conuen-
tu malignantium gestis nihil rescuerant. Cum post omnium iniu-
riarum enarrationem, & libelli, quem de iniusto Nestorianorum
iudicio Cyrillus & Memnon obtulerant, recitationem, magnus ille
Acacius Melitenus episcopus, ea quæ Ioannes Antiochenus aduer-
sus Synodum nullo iuris ordine seruato fecisset, plane irrita nulliter-
que acta esse declarasset; vtpote, quod is qui auctoritatem iudicandi
non habebat, officium iudicis sibi assumpsisset, factoque clandesti-
no improborum & eiektorum episcoporum conuentu, absque vlla
citatione aut admonitione præuia, sententiam condemnatoriam
pronuntiasset; placuit tamen omnibus, vt qui auctor omnium sedi-
tionum fuerat, Ioannes Antiochenus, insuper audiretur, eamque
ob causam iudiciali ordine citaretur. Duabus itaque vicibus succes-
suis tres episcopi missi fuerunt, qui ipsum Ioannem nomine totius
Synodi ad Concilium inuitarent. Primi præter minas, iurgia &
blasphemias militum in fidem catholicam obiectas nihil responsi
retulerunt. Secundi euaginati gladiis ab accessu Ioannis prohibi-
ti, hoc a Ioanne per milites responsum acceperunt: *Episcopus Ioan-
nes ait: Nos homines per nos gradu motos & excommunicationis vin-
culo innodatos responso non dignamur. Quæ cum episcopi ad Con-
cilium retulissent, Iuuenalis Hierosolymitanus episcopus dixit, ob
legatos saltem apostolicæ sedis Roma missos, cum parere debuisse:
Cum præsertim, inquit, apostolica ordinatione & antiqua traditione in
consuetudinem abierit, vt Antiochena sedes perpetuo a Romana dirige-
retur, iudicareturque.* Ioannes vero malum malo, crimen crimini ad-
iiciens, chartas publice affigi iussit, quibus Cyrillus Apollinaristarum
hæreticorum sectarius esse declarabatur. Continebat eadem scheda,
omnia de Cyrilli hæresi imperatori iam nuntiata esse. Ex actis Concil.
Ephes. Baron. an. 431. num. 87. & sequentibus.

Cyrillus &
Memnon
de iniuria
a Concilia-
bulo sibi il-
lata con-
queruntur.

Decreto Sy-
nodali Ioan-
nes Antio-
chenus cita-
ri iubetur.

Ioannes
Antiochen.
Cyrillum
publico
scripto de
Apollinari-
starum hæ-
resi infam-
mat.

ACTIO V.

Decimoseptimo die Iulii episcopis orthodoxis in eadem deipa-
ræ virginis ecclesia congregatis, Cyrillus de charta publice affixa
conquestus, rogauit, vt ad reddendam de irrogata contumelia ra-
tionem Ioannes citetur. Apollinari eiusque sententiæ anathema di-
xit, vt hæreseos suspicionem Nestorianorum conatu iniustam tolle-
ret & exploderet. His acceptis placuit sanctæ Synodo Ioannem per
tres episcopos tertio citari. Qui cum se ad Ioannis habitationem
contulissent, & a clericis eiusdem male excepti fuissent, ab iis qui
aderant, militibus commiserationis causa ex eorum manibus libera-
ti per archidiaconum illius hoc tandem responsum acceperunt: *Ne-
que vos ad nos mittatis, neque in posterum quicquam ad vos mitte-
mus, &c.* Cognita itaque Ioannis contumacia, œcumenica catho-
licorum Synodus in ipsum, & qui cum eo erant episcopos tri-
ginta sex (inter quos etiam Theodoretus reperitur) anathematis
sententiam tulit, nisi quamprimum ab eo recederent. Insuper
vniuersa acta, quæ contra Cyrillum & Memnonem egerant,

Cyrillus de
infamia si-
bi a Ioanne
illata con-
queritur, &
Apollinari
anathema
dicit.
Decernitur
citatio cõ-
tra Ioan-
nem.
Reprodu-
cta citatio-
ne Ioannes
cum reli-
quis 36. epi-
scopis ex-
communi-
catur.

Acta Con-
ciliabali E-
phesini re-
probantur.

Concil. Tom. 6.

Nnn ij

nulla & irrita esse pronuntiauit. De his omnibus duas synodales epistolas, vnā ad imperatorem, alteram ad vniuersos Christi fideles, additis sex Canonibus, perscripsit. Vide post acta Concilii Ephes. Baronium anno 431. num. 90. & sequentibus.

ACTIONIS VI. SESSIO I.

Causam habitæ sessionis s. Nestoriani ad decipiēdos simplices hæreticam fidei confessionem ediderunt.

Cum diebus quinque, quibus Cyrillus ad populum diuersas homilias recitauit, a sacris comitiis cessatum fuisset, die vigesima secunda Iulii octauus congressus in loco solito, ipsa deiparæ Mariæ ecclesia, habitus est; ea nimirum causa, quod Nestoriani a se scriptam nouam fidei confessionem, quasi Nicænum symbolum sit, simplicioribus exhibendo, illos decipere solerent. Fraudem detexit Charisius ecclesiæ Philadelphie œconomus. Huic Nestoriani confessionem a se compilatam obtulerunt eo fine vt reciperet: Cum eam respuisset, ipsorumque propterea iudicio condemnatus esset, hæreticam confessionem fidei, vna cum adiuncto libello, Concilio obtulit. Quam cum patres Concilii legissent, communi sententia eam statim reprobarunt & condemnarunt, & ne in posterum simplices & incauti fideles facile decipi possent, Canonem addiderunt, vt sub grauibus pœnis nemo aliam quam Nicænam absque vilo additamento fidei professionem subscribendam offerret. Vide act. Concil. & Baron. anno 431. num. 97.

ACTIONIS VI. SESSIO II.

Pelagiana hæresis cōdemnata.

Pelagiani vrbe exacti.

Massaliani, Euchitæ & Enthufiastæ cōdemnati.

Iura metropolitani cōfirmantur.

Iuuenalis Hierosolymorum epi-

Vigesima tertia Iulii actum est de damnatione hæresis Pelagianæ. Lectis itaque commentariis sub Cælestino pontifice Romæ aduersus Pelagianos hæreticos conscriptis, cum Pelagio & Cælestio hæreseos auctoribus, omnes eorundem sectarii condemnati fuerunt; vt constat ex Synodali epistola ad Cælestinum scripta. Ciues Ephesini ardore catholicæ fidei æstuantes, omnes Pelagianos populari vi atque tumultu, protinus vrbe expulerunt. Sanctus Prosper in chron. Post hæc diuersas alias causas in Synodum productas esse, certum est: quibus autem, quorve actionibus, incertum. Nam suggestionem episcoporum Valeriani & Amphilochoi Massalianos, Euchitas, & Enthufiastas, in hac eadem Synodo cōdemnatos ferunt. Eustachius metropolitānus Pamphylie, iam senio confectus, episcopatus curæ nuntium remittens, vt episcopatus nomen & honorem dumtaxat retineret, a Synodo petiit & impetrauit. Oblatus insuper fuit libellus ab Euprepio & Cyrillo episcopis, vt secundum antiquum morem illius prouinciæ, vnus episcopus iure metropolitano duobus episcopis præesset: quod sancta Synodus ex prisca eius regionis consuetudine ratum habuit. Cum frequentes ex toto Christiano orbe peregrinationes Hierosolymam versus susciperentur, eoque magis Hierosolymorum, quam Cæsarensis episcopus honoraretur & obseruaretur, totius Syriæ primatum, ex traditione & Concilii Nicæni decreto Cæsarensi debitum, Iuuenalis episcopus Hierosolymitanus sibi magno cum præiudicio Cæsarensis arrogare studebat: Episcopis ferme

ANNO
 CHRISTI
 431.

omnibus in suam sententiam pertractis, controuersiam in iudicium hoc synodale deduxit. Quantumuis Iuuenali plures episcopi fauerent, Cyrillus tamen apostolicæ sedis præfectura vicaria functus, restitit, atque vnique sua iura ex Nicænorum Canonum præscripto illibata conseruauit, vt constat ex epistola Leonis 62. ad Maximum Antiochenum episcopum. Baronius anno 431. num. 98. & sequentibus.

scopus, cur & quo euentu ius metropolitani sibi vdicare studuerit?

ACTIO NE VII.

Pridie Kalendas Septembris discussa est controuersia inter Rheginum episcopum Constantiæ Cypri, & Ioannem Antiochenum, qui sibi Cyprias ecclesias subdere moliebatur. Decretum fuit, ne Ioannes Cyprius, neve alii episcopi alias inuaderent ecclesias. Omnibus illis, quæ ad Nestorii causam spectare videbantur plane absolutis, sacrosancta Synodus per literas rogauit, vt episcopis iam mala valetudine & inopia laborantibus redeundi ad propria facultas concederetur.

Controuersia inter Cypri & Antiochiæ episcopos soluta.

Verum dolo Candidiani comitis omnia ad nutum Nestorii agentis, hæc, aliæque plures sacrosancti Concilii epistolæ Constantinopolim missæ, interceptæ sunt. Cum vero eas dumtaxat epistolas imperator accepisset, quas Nestoriani transmiserant, ex silentio orthodoxæ Synodi, æquitatem causæ Nestorianæ suspicatus, per Palladium Magistrinum 3. Kalend. Augusti ad præfides scripsit, ne quemquam episcoporum ad ecclesiam suam redire permittant. Palladius ad studia Candidiani, Ioannis & Nestorii abreptus, post traditas imperatoris literas tantam redeundi celeritatem præ se tulit, vt literas œcumenicæ Synodi ad Theodosium imperatorem scriptas, donec ab omnibus subscriberentur, expectare non posset. Cum itaque per Palladium suas literas mittere non potuissent, nec haberent cui tuto confiderent, commentum excogitarunt, vt tum has, tum aliarum omnium exemplaria in arundinem inserta, mitterent, per fidum hominem, in mendicum ipso corporis habitu transformatum, & arundine, loco baculi vtentem. Hac ratione dum literæ orthodoxorum Constantinopolim delatæ essent, Dalmatius archimandrita, nulla fere de causa, etiam grauissima, pedem e cella efferre solitus, voce diuina commonitus, monachorum agminibus psalmos & hymnos concinentibus se ducem præbuit, profectusque magna cum fiducia ad imperatorem, literas, quas acceperat, legit: mox ad populum & monachos in ecclesia res quæ Ephesi gerebantur aperuit. His auditis imperator concessit, vt a Synodo Constantinopolim destinarentur episcopi, a quibus de rebus in Synodo gestis certior redderetur. Deputantur a Synodo episcopi, qui synodalia acta imperatori recenserent. Verum imperator mendaciis ac fraudibus Irenæi comitis, & Acacii Berœensis episcopi centesimum ac decimum annum agentis auctoritate, in Cyrillum & Memnonem tamquam hæreticos & seditiosos concitatus, per Ioannem comitem scripto nuntiat, vt cum Nestorio Cyrillus ac Memnon pari iudicio condemnati carceribus mancipientur. Quod cum Ioannes magno cum dolore or-

Epistola synodalis intercepta.

Imperator quid ad præfides scripsit? Palladius literas Synodicas ad imperat. ferre recusat.

Mendicus quidam epistolas Synodi arundini insertas Constantinopolim defert.

Acta Concilii imperatori significatur per Dalmatiū.

Cyrillus & Memnon iussu imperatoris incarcerantur.

Clades imperii Theodosio accepta referatur.

Causa Nestorii Constantinopoli agitata.

Decreta synodi Ephesina confirmata.

Maximianus Constantinopoli subrogatur Nestorio.

thodoxorum executus fuisset, accidit interea, ut iusto Dei iudicio Romanorum exercitus in Africa sub Bonifacio & Aspare ducibus a Vandalis aliisque barbaris trucidaretur, qua occasione Alypius Constantinopolitanæ ecclesiæ clericus libellum offerens, ostendit imperatorem Cyrilli damnationem a schismaticis per odium & summam iniuriam pronuntiatam confirmando, grauissime non tantum peccare, diuinum numen hæcenus sibi propitium offendere, verum etiam totum imperium in summum discrimen pacis ac religionis propterea inducere. Imperator igitur acerrimo illo orthodoxorum libello expurgatus, & amissi in Africa exercitus numero perterrefactus, iussit septem ex utraque parte episcopos Constantinopoli conuenire. Nestorio autem Epheso quo vellet, sine spe redeundi ad sedem Constantinopolitanam, abire permisit. Designati utrimque de iis, qui coram imperatore tractarent, commonitoria certa acceperunt. Orthodoxis a Concilio legitimo mandatum fuit, primo, ut pro Cyrilli & Memnonis liberatione instarent. Secundo, ut quæ pro recta fide aduersus Nestorii impietatem statuta essent, enarrarent. Tertio, ne cum Ioanne Antiocheno eiusque sequacibus prius communicarent, quam Nestorio anathema dixissent. Contra aduersarii & schismaticis a suo Conciliabulo commissum fuit, primo, ut coram imperatore & consistorio res fidei pertractent. Secundo, ut Cyrillum ex propriis scriptis de hæresi conuincant. Ad urbem cum venissent, fauore & studio Pulcheriæ sororis Augustæ, teste Leone epist. 39. & 45. contigit, ut catholicis in urbem intromissis, aduersarii, actis eorum contra Cyrillum & Memnonem, vniuersamque Synodum annullatis, ad propria redire iussi fuerint. Post libellos supplices ter quaterve ingeminatos obtinuerunt, ut Constantinopolim ingressi ad confutandum cum legatis Synodi œcumenicæ de duodecim Cyrilli capitibus, quæ ipsi hæretica esse proclamabant, admitterentur. Singulis congressibus conuictos, tandem cum amplius impii detegerentur, imperator dimisit, & ad propria reuerti mandauit, illo decreto addito, ut quod sacrosancta Synodus œcumenica contra Nestorium pronuntiaffet, vim obtineret: quodque in causa Ioannis Antiocheni constituisset, ne cum eo totius Syriæ episcopi a catholica ecclesia alienarentur, spe redintegrandæ pacis & concordiæ, (quæ auctore Sixto pontifice, ut infra dicemus, obtenta est) suspenderetur. Cum itaque hæreticorum & schismaticorum factiosa quadrimestris rebellio hunc finem accepisset, iussu imperatoris, legati Synodi œcumenicæ, quinto mense post damnationem Nestorii, 8. die Nouembris, Maximianum vita monachum & ordine presbyterum, ecclesiæ Constantinopolitanæ episcopum ordinarunt. De quo postea, quæ sunt apud acta Concilii Ephesini edita, & Liberatum in breuiario cap. 7. ex cod. Antonii Augustini hæc extant apud Baron. num. 174. *Iussit autem his, qui de sancto & magno vniuersali Concilio erant, (nempe octo legatis missis) ingredi in ecclesiam & ordinare episcopum sanctæ ecclesiæ Constantinopolitanæ: quod etiam factum est. Ingressi autem ordinauerunt Maximianum episcopum. Et post hæc iussit imperator, omnes episcopos abire*

ANNO
CHRISTI
451.

ANNO
CHRISTI
431.

Unumquemque in propriam regionem: & abierunt. Mansit hic Joannes Antiochenus episcopus, & qui cum eo erant, in se segregati existentes. Ingressus autem est Cyrillus episcopus Alexandriam Athyrtertia, & suscepit eum ciuitas cum multa excellentia gloria.

Cyrillus vero 3. Kalend. Nouembris Alexandriam reuersus, audita Maximiani ordinatione, ad legatos Synodi adhuc Constantinopoli commorantes gratulatoriam epistolam supra extantem scripsit.

Patres Concilii Ephesini cum imperatore & Maximiano, recens creato episcopo, Cælestino pontifici, tamquam prostratæ hæreseos auctori per legationem deputatam plurimum gratulati fuerunt. Tunc salutatio angelica hoc additamentum, *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis*, &c. accepisse creditur. Pulcheria vero Augusta templum insigne ad litus maris in honorem Dei genitricis extruxit. Nicephorus lib. 15. cap. 2. Sicque augustissima illa virgo, cui draco deterrimus laudes debitas inuidebat, amplioribus postmodum vocibus celebrata fuit. Theodosius cum se ab Irenæo illulum comperisset, exauctoratum in ordinem redegit. Eadem poena exauctorationis Candidianum, Palladium & Ioannem plexos fuisse, admodum est verisimile. Nestorius cum quibusdam suæ factionis sectariis, cum sua peccata deflere, & tandem respiscere debuisset, aduersus veritatem catholicam, & Cyrilli capitula calamum armavit; sed frustra. Nam ea volumina, quæ in monasterio sancti Eupreprii apud Antiochiam relegatus maledice & contumeliose scripserat, iussu imperatoris ignibus tradita fuerunt. Hæc summatim ex actis Concilii Baron. anno 431. num. 179. vsque ad 184.

* *Basso & Antiocho consulibus.*] Hoc Concilium celebratum fuisse anno post consulatum Theodosii XIII. & Valentiniani III. pluribus in locis acta Concilii testantur. Vincentius Lirinensis in libro de profanis vocum nouitatibus, qui hac ætate vixit, de tempore huius Synodi ita scribit: *Ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est Concilium viris clarissimis Basso Antiochoque consulibus.* Idem sanctus Prosper in chronico, & Socrates lib. 7. cap. 34. indicarunt. Prædictus autem consulatus in annum Domini 431. qui est primus post consulatum Theodosii XIII. & Valentiniani III. incidit. Pfellus, qui ponit solum interuallum annorum quadraginta inter secundam & tertiam Synodum; & Onuphrius qui annotauit hanc Synodum celebratam anno Domini 430. Theodosio XIII. & Valentiniano III. consulibus, quid secuti fuerint, non possum dicere, præsertim cum part. 2. actionis 1. initio, disertis verbis legamus, Synodum inchoatam post consulatum Theodosii XIII. & Valentin. III. nisi dicamus eum putasse, Synodum eodem anno, quo indicta fuit, celebratam esse. Quo tempore autem Synodus indicta, quis terminus inchoandæ Synodi præstitutus fuerit, indicat epistola Theodosii & Valentiniani ad Cyrillum. De hac Synodo vide Liberati breuiarium a cap. 1. vsque ad 10. inclusiue. Socratem lib. 7. Euagrium lib. 1. Bellarminum lib. 1. de Conciliis cap. 5. Possuinum in apparatu sacro, verbo *Ephesinum*.

De prostrata hæresi Nestoriana, Cælestino pontifici gratulatum est. Salutatio angelica additamentum quâdo accepit?

Irenæus & Candidianus exauctorantur.

Nestorii scripta cõburuntur.

Tempus habitum Concilii.

Pfellus & Onuphrius redarguantur.